APIONIS QUAE AD HOMERUM PERTINENT FRAGMENTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XXV. MENS. AUG. A. MDCCCLXXXVI

HORA XII

IN PUBLICO DEFENDET AUCTOR

H. BAUMERT

OLDESLOEENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAUL ROSENSTOCK, DRD. PHIL.

WERNER WOLLF, STUD. PHIL.

REGIMONTI BORUSSORUM.

MDCCCLXXXVI.

TYPIS LEUPOLDIANIS.

Parentibus sacrum.

I.

Priusquam ad rem mihi propositam accedam, ut Apionis quaecumque ad Homerum pertinent fragmenta enumerem, breviter exponam, quibus qualibusque sim fontibus usus. Atque g l o s s a r u m quidem longe maximam partem e lexico illo Homerico, quod vulgo Apollonio sophistae attribuitur, cognitam habemus. Nam de paulo plus centum quinquaginta ex scriptis Apionis locis, quos undecumque collegimus, centum et triginta unum Apionis nomine insignitos ipse Apollonius servavit. Cuius in lexico, si cum aliis eiusmodi operibus conferes, saepius nomen Apionis librarii neglegentia intercidisse facile doceberis. Itaque nostri nomen his nobis locis restituendum erit: pp. 24, 17 et 133, 19 (*τινὲς δὲ ἔδοξαν*) ex Hesychio, p. 1, 20 (*οἱ μὲν κτλ.*) ex Photio, p. 116, 11 ex Epimerismis a Cramero editis quibuscum congruit Etymologicum Gudianum, pp. 122, 1. 3. 123, 15. 127, 10. 129, 18 (?) ex Etymologico Magno, cuius posteriores tres locos Zonaras exscripsit, p. 92, 15 (*οἱ δὲ κτλ.*) denique e Scholiis Venetis et Lipsiensibus quae fontem appellant Porphyrium. Quin etiam totae interdum glossae tempore exstirpatae videntur, quod nemo admirabitur, qui quantopere lexicon Apollonii iterum atque iterum descriptum mutilaverint librarii atque interpolaverint cognorit. Sic Apionis interpretationes aliunde nobis cognitas desi-

deramus vocum *ἀέσαι* (p. 10, 20), *ἐρέχθων*, (*Ἠλύσιον*), *θαλαμηπόλος* (p. 85, 30), *κινυρή* (p. 99, 28), *κρόταφος*, *μηκάδες* (p. 112, 16), *ὀπωπή* (p. 122, 12), *οὐδενόσωρα* (p. 13 2, 32), *σφάραγον* (p. 147, 31), *φοινήεντα*. Quae omnia ex ipso Apionis lexico Apollonium hausisse quoniam satis constat, silentio praetermittens paucis puto mihi disserendum, qualis genuina eius fuerit forma. Unicuique verbo Apio, quotquot sensus significabat, addiderat, plurimis praeterea originationes, quae cum admirabili plerumque sint calliditate excogitatae, rarissime approbare nos possumus. Interdum autem etymologia ipsa sensus continetur, ut vv. *ἀάπτους* p. 1, 20, *ἀνδραχθέσι* p. 33, 27, *βαμβαίνων* p. 50, 21, *θεσπέσιον* p. 87, 26, *λαοσσόος* p. 107, 4 etc. Item cuique significationi ex Homeri carminibus testimonium adic etum fuisse videtur; cf. pp. 100, 24. 105, 21. 124, 7. 157, 33. Sed integram Apionis glossam nunc in Apollonio iam non invenimus. Quod unde sit genitum, facile nobis apparebit considerantibus et quam neglecta in condicione sit atque corrupta lexici Apolloniani codex per tot saecula usque ad nostram aetatem servatus et Apollonium, ubi Apionis solam reddit etymologiam, consulto eius explicationem, quae et ipsius fuerit, brevitatis causa praetermisisse videri, ut factum est s. v. *ἀθύρει* p. 12, 32, *ἄντυξ* p. 31, 1, *βοάγρια* p. 52, 27, *ἡμερίς* p. 84, 1, *λήϊον* p. 108, 19 alias. Commentarios quoque Apionis in lexico suo conficiendo sese adhibuisse Apollonius nullas nobis dat ansas dicendi.

Atque dubitanti tibi, quin glossae, quas Apollonius affert, vere ab Apione profectae sint, cum nullam videam causam testimonio Apollonii tam saepe repetito non credendi, optimo omnes iure ad illum referendas esse respondeo. Itaque Ritschelio nequeo astipulari, qui Opusc. I. p. 116 Apionem in lexicon suum etiam glossas Heliodori, quaecumque ei placuissent, recepisse atque, nisi utriusque explicationes inter sese differrent, auctoris sui nomen omi-

sisse censet.[1]) Cuius rei quam affert causam [2]): Apionis et Heliodori glossas saepe coniunctas proferri, equidem nullam esse existimo. Locos enim, ubicumque Apollonius Apionem una cum Heliodoro citat, et ipsi numeranti mihi decem tantum (vv. *ἀνδραχθέσι* p. 33, 26, *σπιλάδες* p. 144, 7, *σφαραγεῦντο* p. 147, 28, *τανύγλωσσοι* p. 149, 20, *τανύποδα* p. 150, 11, *τρητοῖσιν* p. 154, 16, *τρίγληνα* p. 154, 24, *ὑποσταχύοιτο* p. 159, 27, *ὑπονηΐῳ* p. 160, 11, *φυλίης* p. 165, 24) occurrerunt. Quorum numerus locis, quos apud ceteros legimus, ut in Photio, Suida, Lexico Segueriano (vv. *σπιλάδες* et *τρίγληνα*), in Schol. Ven. (v. *τρητοῖσι*), in Schol. ad Dionysii Thracis grammaticam (v. *ὑπονηΐῳ*), utpote qui ex Apollonio omnes fluxerint, non completur. Neque vero ex his locis pro numero perpaucis de communi quodam Apionis et Heliodori opere licet coniecturam facere. Cur Ritschelius, quoniam undecies (pp. 3, 16. 91, 30. 100, 33. 104, 22. 112, 24. 131, 6. 141, 25. 143, 3. 9. 146, 16. 159, 3.) Apollonius Apionem coniunxit cum Aristarcho [3]), etiam horum non ponit societatem? De A. Koppii dissertatione nuperrime edita [4]) infra dicam.

Apollonium vero, non Apionem ipsum, fuisse fontem ceteris, quicumque glossas Apionis tradiderunt, ac praecipue Hesychio, affirmans vix mihi videor errare. In Hesychii lexico Apollonianum contineri cum ex ipsa comparatione utriusque glossarum apparet, quod ut perspicias contendas velim vv. *αἱμασιάς*, *αἰσυητῆρι*, *ἄστυ*, *ἡμερίς*, *θήρ*, alias, tum loco quodam Hesychii ad Eulogium epistolae,

---

1) In eadem sententia stant Naber Phot. Lexic. (1864) prolegg. p. 118 et C. Forsman de Aristarcho lexici Apolloniani fonte (Helsingf. 1883) p. 20.

2) De glossographis quae l. l. disseruit, postea ipse retractavit.

3) p. 100, 19 Apollonius tres illos laudat: *ὁ μὲν Ἡλιόδωρος .... ὁ δὲ Ἀρίσταρχος .... ὁ δὲ Ἀπίων φησὶν οὕτως κτλ.*

4) Apios Homerlexicon Herm. XX. p. 161 sqq. 1885.

quae eius lexico praefixa est, probari mihi videtur. Quod ibi Hesychius dicit Aristarchi et Apionis et Heliodori *λέξεις* sese in opus suum rettulisse, hac re quid indicatur aliud nisi Hesychium usum esse Apollonii lexico, cuius maxima pars ex operibus trium illorum grammaticorum composita est,[5]) sed, ut acerbissimae diligentiae atque doctrinae late patentis speciem prae se ferret, illorum scripta, quae Apollonii fundamenta sunt, sui ipsius fontes perhibuisse? Apionis nomen Hesychius servavit ad vv. *αἰσυητῆρι*, *ἅλις*, *θαλαμηπόλος*, *ἰονθάδος*, *κήξ*, *μηκάδες*, *μῆνις*, *οὐδενόσωρα*, *ὢ πόποι*, *φοινήεντα*, *χαμαιευνάδες*; interdum generalem habet appellationem (*οἱ δέ*, *τινὲς δέ*, *ἔνιοι*), plerumque autem glossarum originem tacet. Numerum glossarum, quas ex Apollonio cognovimus, quinque (*ἅλις*, *θαλαμηπόλος*, *μηκάδες*, *οὐδενόσωρα*, *φοινήεντα*) auget; praeterea haud raro, ut Apollonio ad textum Hesychii recte constituendum utimur, illius vicissim verba emendat expletque, quod de ceteris quoque dici posse, ne eandem semper cantilenam canere cogar, hic annotatum volo.

A Photio Apio quinquies laudatur tantum: s. vv. *ἀάπτους*, *μόθος*, *σπιλάδες*, *σφάραγον*, *τρίγληνα*, quae glossae omnes ex Apollonio depromptae sunt. De reliquo eius lexicon hic parvo est numero. Suidas Apionem nisi s. vv. *σπιλάδες*, *σφάραγον*, *τρίγληνα* non vocavit ad partes. Ut his locis cum Photio consentit, sic, quaecumque Apionicae doctrinae profert nullo auctore, haec quoque ex illius, non ex Apollonii ipsius videtur opere hausisse. Neque vero desunt, quae cum in nostro Photii exemplari desideremus, recta via ex Apollonio aut Hesychio uti transierint, facile fieri potuit, nisi coicere mavis Suidae integrius Photii apographon prae manibus fuisse. Cum Photio plerumque etiam codicis

---

5) Apio centies tricies semel, Aristarchus sexagies, Heliodorus quadragies ab Apollonio laudantur, sed ne obliviscaris eorum nomina haud raro e textu excidisse.

Coisliniani *Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων κτλ.*, quam Bekkerus et Bachmannus in suis quisque Anc edotis ediderunt, ad verbum fere consentit; vv. *αὐδήεσσα* et *πότνια*, quas Suidas easdem exhibet, item v. *ἀέσαι*, quae neque in Photio neque in Suida invenitur, olim apud Photium quoque fuisse nescio an suspicari nobis liceat. Dubium enim est, utrum *Συναγωγῆς* auctor Photium an Photius *Συναγωγὴν* exscripserit. Apio congruenter cum Photio et Suida s. vv. *σπιλάδες*, *σφάραγον*, *τρίγληνα*, praeterea s. v. *ἀέσαι* appellatur.

Scholiasta ad Dionysii Thracis grammaticam s. v. *ὑπονηίῳ* ipsum Apollonium, ut opinor, exscripsit.

Ut auctores, de quibus modo disserui, quippe qui aut recta via aut per ambages ad Apollonium referendi sint, unam quasi turmam efficiunt, ita inter Etymologicum Magnum, Gudianum, Lexicon Zonarae, quae haud raro eadem iisdem verbis praebent, societas quaedam intercedit. Etymologici Magni auctor Apionem laudat s. vv. *ἆσαι*, *ἄχος*, *ἐρεχθών*, *κινυρή*, *κλειτύς*, *κορώνη*, *κρόταφοι*, *ὅπλα*, *ὀπός*, *ὀπωπή*, *ὄρχατος*, *παλύνω*, *πείρινθος*, *σκῶλος*, *σφάραγον*. Quae glossae quamquam non omnes apud Apollonium leguntur, tamen ex eo, nonnullae fortasse non recta via,[6]) haustae videntur. Eundem autem aliis quoque locis,[7]) quibus Apionis nomen deest, ab Etymologo nostro exscriptum esse verisimile est. Alia Homeri Epimerismis[8]) debet, alia Orionis Etymologico. Semel (s. v. *αἴσυλα*), cum Apollonii explicationem exhibet, Methodium citat. Etymologicum Gudianum omnibus locis, qui aliquo numero et loco sunt, iisdem fere verbis repetit, quae in Magno invenimus.

---

6) s. v. *κρόταφοι* addidit: *οὕτως Σωρανός* dissentiente Gudiano, quod eadem ex Oro affert. Glossa fortasse Orionis est; cfr. Lehrs. Quaest. ep. p. 33 not.

7) cf. praesertim vv. *αἴητον*, *βέρεθρον*, *τρίγληνα*.

8) s. v. *νήδυμος* Apionis nomen habent, quod Etymologicum Magnum omisit, servavit Gudianum.

Apionis nomen legitur s. vv. κλειτύς, κρόταφοι, νήδυμος. Zonaras plurima ex Etymologico Magno exscripsit, quocum congruens Apionis nomen habet s. vv. ὄρχατος, παλύνω, πείρινθος. Praeterea vv. ζῶστρα et ἡμερίς a Suida surripuit.

Etiam Scholiorum (Venetorum, Lipsiensium, aliorum) collectiones nonnullas Apionis explicationes servaverunt atque variis ex fontibus petitas. Quas Veneta habent, ut plurimae ex Apollonio fluxisse videntur,[9]) sic posterioris aetatis scholia recentioribus fontibus, praesertim Epimerismis, Etymologicis, Eustathio, utebantur. Apionis nomen adiectum non est nisi glossis, quas ex Apollonio sumptas cognovimus, sc. Schol. Ven. ad Γ 448, Δ 457,[10]) Ν 564.

Eustathium, quas in Parecbolis suis habet, glossas Apionicas ex Apollonio deprompsisse non multum abest quin contendam conferens e. g. quae dicit de ἀθύρματα p. 1848, 56, de αἰσυητήρ p. 1353, 50, de βοάγρια p. 890, 26, de ἰονθάδος p. 1750, 3, de ἱπποκορυστάς p. 163, 41, alias. Semel (p. 812, 43) e rhetorico quodam lexico explicationem affert Apioni similem. Alias debere Scholiis videtur, sed integrioribus quam quae nobis servata sunt, ut pp. 946, 49 et 102, 30. Quibus glossis haud raro κατὰ τοὺς παλαιούς vel simile aliquid praescripsit, Apionis nomen oppressit.

Perpaucae sunt commentariorum Apionis reliquiae. E praefatione petita videntur, quae legimus in Plinii hist. nat. 30, 6 atque in Achillis Tatii ad Arati Phaenomena Isagoge p. 74 Petav. Singula fragmenta debemus Senecae philosopho, Athenaeo, Scholiastae ad Aristoph. Pac.: Seneca (epist. 88) argutias quasdam Apionis tradit; Athenaeus (I p. 16 f) de alea procorum fragmentum, quod

---

9) Conferas velim Schol. ad Α 267, Β 2, 729, Γ 448, Δ 457 (Porphyrii), Ν 564 cum Apollonii notis.

10) Congruit cum Lips. — In Apollonio s. v. ἱπποκορυστάς Apionis nomen excidit.

apud Eustathium quoque repperimus, nobis servavit;[11]) Scholia ad Aristoph. Pac. v. 778 notam ad Odysseae locum pertinentem continent. Herodianus quattuor Apionis notas in scripta sua, si quidem Lentzium sequimus, recepit, quas nunc legimus in prosodia catholica I p. 211, 10, in prosodia Iliaca ad I 393 II p. 66, 1, Odyssiaca ad ε 123 II p. 142, 29 et μ 14 7 p. 140, 22, quae prima excepta etiam in Scholiis inveniuntur. Ut tria fragmenta posteriora ex commentariis certe Apionis profecta sunt, sic primum quoque ibidem potius quam in lexico fuisse potest. Scholia habent Apionis annotationes ad B 12. I 393 (ex Herodiano). Κ 252 (e Porphyrio). Ξ 216. γ 341 (Porph.). ε 123 (Herod.). μ 174 (Herod.). Ab Eustathio commentarii Apionis, quamquam praebet, quae certe in iis fuerunt, non sunt adhibiti; unde quae affert, ex aliis fontibus petiit. Sic p. 1426, 12 de procorum alea Athenaeum ipse fontem fuisse profitetur. De Elysio autem quae disseruit (p. 1509, 31) e Scholiis profecta sunt, ubi eadem valde nunc contracta legimus. Eorum autem, quae ex Apionis et Herodori[12]) in Iliadem ὑπομνήμασι (p. 47, 13) seu σχολίοις[13]) (p. 1257, 54) saepissime laudatis exhibet, nihil fere liquido posse ad

---

11) Glossam quoque Apionis XI. p. 501 e legimus, quam e lexico Pamphili, qui ipse glossis Diodori usus est, transisse in Athenaeum Ritschel. Opusc. I p. 119 docet. Sed ad Atticam comoediam potius quam ad Homerum eam referri vult Naber. Phot. prolegg. p. 121.

12) Pro Herodori nomine Valckenar. Opusc. II p. 151 Heliodorum poni voluit, quem secuti sunt Ritschel. Opusc. I p. 118 et Naber. Phot. prolegg. p. 120. Quibus nihil esse causae puto quod assentiamur. — In errorem sese inductum esse Ritschelius cum Opusc. I p. 116 diceret Apionem et Herodorum communi glossographorum nomine insigniri atque, ubi glossographi laudarentur, nullos alios nisi nostros esse intelligendos, ipse nota p. 119 addita postea concessit.

13) Utroque loco certum est unum idemque opus ab Eustathio laudari, quod approbare J. La Roche Homer. Textkritik p. 158 not. 230 vereri videtur.

Apionem referri ut iam diu constat, sic hunc ego in modum enarrabo.

Non minus quam semel et sexagies Apionem et Herodorum ille ad partes vocavit; iisdem autem eos quoque locos, qui solum appellant aut Apionem (pp. 622, 42. 659, 28. 757, 19. 763, 9. 786, 22. 792, 16 dico) aut Herodorum (pp. 407, 35. 809, 3) attribuendos esse, quicumque accuratius inspexerit, facile assentietur.[14] Sed cave credas commentarios, de quibus agere coepimus, revera ab Apione et Herodoro aut ab altero et alterius opera exscribente et sua tradente confectos esse. Quin etiam ex utriusque scriptis ne a tertio grammatico quidem eos excerptos esse nunc sibi quisque persuasum habet. Immo vero omnia fere sua aliis atque iis, quorum nominibus inscripti sunt, debent grammaticis iisque, quorum scripta Venetorum quoque scholiorum quasi fundamentum sunt, atque ab anonymo posterioris aetatis auctore originem ducentes et aut fortuito aut fraude mala Apioni et Herodoro attributi de genuina sua origine etiam Eustathios deceperunt. Quod postquam Lehrsius[15] primus intellexit, nemo est quin ei assentiatur.

Atque diligentius inquirentibus nobis statim perspicuum est maximam similitudinem, haud raro accuratam ad verbum consonantiam inter illos, quibuscum res nobis est, commentarios et scholia Veneta intercedere. De undeseptuaginta enim notis, quas Eustathius ex Apione et Herodoro mutuatus est, quinquaginta tres cum Venetis congruunt, longe maxima earum pars: pp. 62, 1. 178, 22. 299, 25. 324, 19. 329, 10. 340, 20. 46. 350, 29. 407, 35. 476, 45. 496, 35. 515, 35.

14) cf. Lehrs. Quaest. ep. p. 2. Ritschel. Opusc. I p. 222 La Roche p. 170, quem latuit p. 1242, 38 non nostrum grammaticum, sed tibicinem quendam Herodorum induci atque totum locum ex Athen. X p. 414 f ab Eustathio haustum esse.

15) v. de Arist. stud. Homer[3]. pp. 35. 364 sqq. Quaest. ep. pp. 1 sq. 27 not.

518, 18. 526, 41. 541, 10. 545, 19. 592, 17. 618, 9. 622, 42. 659, 50. 705, 60. 706, 51. 732, 46. 742, 60. 747, 12. 757, 19. 763, 9. 769, 27. 790, 6. 792, 16. 794, 25. 803, 59. 834, 33. 841, 23. 843, 7. 851, 49. 890, 9. 922, 49. 959, 30 [16]). 991, 25. 992, 56. 1005, 53. 1017, 61. 1037, 43. 1043, 48. 1075, 44. 1108, 8. 1218, 38. 1235, 4. 1250, 56. 1257, 54. 1281, 8. 1304, 2. Neque vero diversitates nunc leviores nunc graviores desunt. Saepe enim apud Eustathium, ut erat loquacior diligensque latitudinis, rem copiosius legimus disputatam quam Scholia praebent, sive is pluribus verbis exposuit, quae in Apione, ut brevius dicam, invenit (e. g. pp. 329, 10. 518, 18. 747, 12. 757, 19), sive propriae aliquid doctrinae et explicandi et docendi causa addidit (ut pp. 350, 29. 476, 45. 732, 46. 851, 49. 890, 9). Alia paululum commutavit contraxitque, ut pp. 515, 35. 618, 9. 705, 60. 790, 6. 922, 49, alia alium redegit in ordinem, ut pp. 541, 10. 794, 25. 841, 23. 843, 7. 992, 56. 1017, 61. — Pp. 476, 45. 834, 33. 1043, 48 accidit, ut, quae in Scholiis diversis nunc locis invenimus, legamus uno tenore apud Eustathium. Sed ne quem fugiat hanc scripturae varietatem non ubique ex Eustathii ratione excerpendi profectam esse, sed aliqua ex parte et ei, qui nostros commentarios composuit, et Scholiorum Venetorum compilatori deberi. Quorum utrique eius operis, quod ex scriptis quattuorvirorum illorum, dico Herodiani Aristonici, Didymi Nicanoris, est conflatum, exemplar ad manum erat.

Eust. p. 118, 34 ad Α 365 („*οἶσθα· τίη τοι ταῦτα κτλ.*“) habet haec: *σημείωσαι, ὅτι οἱ παλαιοὶ ἐν μὲν τῷ ἐπειή . . . . περισπῶσι τὸ η τῆς λῃγούσης, ἐνταῦθα δὲ βαρύνουσιν ἐγκλίνοντες ὡς ἐν τοῖς Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου φέρεται.* Scholiasta autem quamquam ad l. l. nihil eius modi tradit, tamen notat ad Υ 251: *περὶ τοῦ η τοῦ ὑποτασσομένου τῷ τί καὶ τῷ ἐπεί ἐδηλώσαμεν ἐν τοῖς πρὸ τούτων, ὡς τῷ τί*

16) Lehrs. Arist. [3] p. 366 in scholiis Venetis non legit.

ὑποτασσόμενος μὲν ἐγκλίνεται, τῷ δὲ ἐπεί περισπᾶται. Unde quid obstat, quominus ad *A* 365 eadem praebuisse scholiastam, notam vero in nostro scholiorum exemplari nescio quo casu excidisse colligamus? Idem etiam Apionis et Herodori ad *A* 573 et *B* 499 observationes (pp. 153, 17. 267, 2)[17]), alii fortasse loci, quos in scholiis nunc desideramus, passi sunt.

Sequitur, ut constituamus, quosnam ad fontes sint referenda ea, quae ex duum virorum opere laudantur. Ac plurima quidem ex Herodiani et Iliaca et catholica[18]) prosodia deprompta Eustathius inde servavit. Quae, ubi inveniuntur apud Lentzium locis additis, statim enumerabo : pp. 62, 1 (II p. 23, 34). 118, 34 (p. 114,18). 153, 17 (I p. LIII. II p. 119, 9).[19]) 178, 22 (I p. 539, 16 cum nota. II p. 31, 18). 267, 2 (I p. 265, 31 c. n.). 329, 10 (I p. 28, 2. II p. 36, 36). 340, 20 (II p. 37, 4). 340, 46 (II p. 37, 14). 407, 35 (II p. 40, 29). 496, 35 (II p. 46, 30). 518, 18 (II p. 47, 22). 526, 41 (I p. 380, 36. II p. 48, 15 c. n.). 541, 10 (II p. 49, 17). 592, 17. (II p. 52, 19). 618, 9 (II p. 53, 27). 641, 58 (II p. 55, 13). 659, 50 (II p. 58, 5). 705, 60[20]) (II p. 60, 24). 732, 46 (II p. 63, 5). 742, 60 (II p. 64, 1). 769, 27 (II p. 67, 8). 790, 6 (II p. 69, 17). 792, 16 (II p. 69, 32). 794, 25 (II p. 70, 3). 834, 33.[17]) 841, 23 (II p. 73, 30). 843, 7 (II p. 74, 3). 890, 9 (II p. 237, 15). 922, 49[21]) (II p. 85, 3). 959, 30 (II p. 88, 7). 991, 25 (II p. 90, 27). 992, 56 (II p. 90, 35). 1017, 61 (II p. 94, 38). 1037, 43 (II p. 97, 10).

---

17) cf. Lehrs. Arist.^{3} p. 366.

18) cf. Eust. p. 1235, 4. — Schol. Ven. II p. 219, 20 Dindorf. Herod. II p. 117, 12. I p. 497, 4 Lentz.

19) cf. Cram. Anecd. Oxon. III p. 399, 20.

20) cf. Cohn de Heraclide Milesio grammatico p. 17.

21) Naber. Phot. prolegg. p. 121 Apioni falso ascribit, item fragmentum Aristonici p. 1005, 53, Didymi p. 1043, 48, incertum p. 757, 19.

1075, 44[22]) (II p. 102, 36). 1218, 38 (I p. 540, 18 c. n.). 1235, 4 (I p. 497, 2 c. n. II p. 117, 12). 1257, 54 (II p. 102, 29). 1281, 8 (II p. 120, 16). 1304, 2 (II p. 122, 6).

Longe rarius Aristonici[23]) scripta in Apionis et Herodori commentariis, quos quidem nos cognoverimus, adhibita sunt, octo tantum locis: pp. 299, 25. 324, 19. 350, 29. 476, 45. 747, 12. 851, 49. 1005, 53.[21]) 1250, 56. — Ad Didymi *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* librum referenda sunt, quae invenimus apud Eustath. p. 1043, 48.[24]) Cui annotationi commentariorum nostrorum auctor aut Eustathius inseruit Aristonicea quaedam, quae nescio an ipsa quoque apud Didymum haud raro eadem quae Aristonicus tradentem (v. Ludwich l. l. I p. 51 sq.) legebantur. Eidem attribuere nos oportet scholion ad *P* 307 Eustath. p. 1108, 8 (v. Schmidt. p. 123. Ludwich I p. 80, not. 108. p. 422, 12). Quae paulo inferius Eustathius profert: *οἱ δ' αὐτοὶ* (sc. Apio et Herodorus) *καὶ τὸ „ἀναλκείῃ" κατωτέρω* (*P* 320) *κείμενον διφορεῖσθαί φασι κατὰ τὴν γραφὴν τῆς παραληγούσης*, haec quoque, quoniam ad scripturae duplicitatem spectant, a Didymo ducere originem videntur. — Ex Nicanoris *περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς* libro sumpta sunt, quae p. 706, 51 leguntur; cf. Friedlaend. Nicanoris reliqu. p. 194. — P. 763, 9 ex Harpocratione fluxisse scholion respondens (I p. 324, 13 Dind.) testatur. Observationes, quas Eustathius pp. 515, 35. 545, 19. 622, 42. 757, 19.[25]) 803, 59 habet, unde

---

22) cf. Lehrs. Arist.³ pp. 304. 366.

23) cf. ibid. p. 367. Friedlaend. Aristonici *περὶ σημείων Ἰλιάδος* reliquiae pp. 72. 76. 78. 98. 159. 195. 239. 314.

24) cf. Lehrs. Arist.³ p. 368. A. Ludwich Aristarchs Homer. Textkritik nach d. Fragm. d. Didym. etc. I p. 398, 26 cum nota (M. Schmidt. Didymi fragm. p. 158).

25) In hac observatione quaestionis Porphyrianae exstare vestigia aliis explicationibus admixtis demonstrat H. Schrader Porphyrii reliqu. p. 137, 5.

originem duxerint, indagantibus nobis iam non licet certi quicquam extricare, nisi quod vocabuli *φάλος* interpretationem p. 803, 59, quippe quae ab explicatione apud Apollon. p. 161, 15 data abhorreat, Apionis esse nullo modo posse satis constat; cf. Lehrs. Quaest. ep. p. 2.

Praeter has commentariorum Apionis et Herodori reliquias, quarum alias Scholiastae animadversionibus constare, alias iis ascriptas olim fuisse ostensum est, compluria restant fragmenta, quae quonam e fonte in nostros commentarios emanaverint parum est perspicuum. Ac partim quidem fontes apud Eustathium ipsum, quamvis generaliter, laudatos invenimus, ut *οἱ μὲν .... ἄλλοι δὲ .,.. καὶ μὴν πολλοῖς ἑτέροις τῶν παλαιῶν .... τινὲς δέ γε τῶν παλαιῶν* p. 65, 8; *τινές* p. 729, 26. P. 314, 40 Eustathius dicens: „*καὶ ῥηθήσεται ἀλλαχοῦ, ὅπως γίνεται*“ spectare videtur ad p. 399, 14, ubi, quae modo disseruit, repetens alteri „*κατά τινας*“, alteri „*ὡς ἕτεροί φασιν*“ addit interpretationi. Quibus locis qui sint intelligendi auctores, iam non potest definiri nisi quod observationis p. 65, 8 prior pars concinere videtur cum Aristonici ad A 129 fragmento (v. Friedlaend. p. 44. Ludw. I p. 182, 1). Herodianum resipiunt quae Eustath. p. 809, 3 habet (cf. Lentz. I p. 506, 2). Didymum annotationis p. 708, 2 esse auctorem suspicatur Ludwich. I p. 286, 12. Quae fragmenta cum ab iisdem profecta sint grammaticis, quibus quattuorvirorum commentarios qui dicuntur debemus, aut certe profecta videantur, a vero fortasse haud aberrabimus in Scholiis olim ea constitisse affirmantes. Eust. p. 786, 22 cum dicit: *εἰ λέγεται παλύνειν καὶ τὸ μολύνειν κατὰ Ἀπίωνα κτλ.*, veram Apionis exhibet sententiam, de qua vide p. 55. Neque vero mihi quidem dubium est, quin ille quamquam Herodori nomine omisso Apionem solum appellavit, tamen de vera interpretationis origine ignoraverit ibique forte tantum acu tetigerit uno apposito nomine. Simul autem hac nota docemur ei, quo

Eustathius auctore utebatur, revera Apionis patuisse doctrinam. Cuius rei tantum abest, ut vocabulorum πόρδαλις et πάρδαλις originationes, quas Eust. p. 890, 9 refert, documentum esse opiner, ut contra affirmem et eas et vocis πῖδαξ etymologiam, quibus recte Ῥοδίος nomen fluvii consona δ [26]) interiecta a ῥόος derivatum demonstraret, ab ipso Eustathio utpote vulgatissimas adiectas esse. Etiamsi igitur scholiorum, de quibus quaerimus, auctorem Apionis in Homerum libros excerpsisse satis constare videtur, tamen incertum est, num iure tribuamus Apioni sex quae restant fragmenta. Quorum imprimis explicationem, quam p. 659, 28 legimus: „ἠλέκτωρ (Z 513) ὁ λάμπων ὡς ἤλεκτρον", cum magna eluceat cum etymologicis nostri glossis similitudo, Apionicis annumerare possimus. Minus verisimile est, quae Eustath. p. 47, 13 de prima quadam Graecorum in Troiam expeditione, p. 157, 2 de colli Ἄτης, p. 474, 38 de acie a Nestore instructa affert [27]), num ex Apionis commentariis sint petita. Item quae inveniuntur p. 28, 2 : A 20 per infinitivos e verbo δοῖεν (v. 18) dependentes legendum, atque p. 140, 42 : casus genetivos, qui syllabis οιο finiuntur, Boeoticae esse, non Thessalicae dialecti, nullam habemus ansam nostro grammatico attribuendi.

Quodsi, quae de commentariis nostris cognita habemus, breviter complectimur, eorum auctorem ea praecipue scholiorum collectione, quae ex libris Aristonici Didymi, Herodiani Nicanoris composita est, aut ipsa aut excerpta usum esse [28]) atque alios praeterea fontes, in quibus, nisi, quod

---

26) Non syllaba δι, ut Eustathius tradit; cf. Herod. II p. 237, 15 cum nota Lentz.

27) cf. Lehrs. Arist.³ p. 368. Quaest. ep. p. 27.

28) Ludwich. l. l. I p. 80. 169, iidemne sint quattuorvirorum atque qui sub Apionis et Herodori nominibus laudantur commentarii, in medio relinquit.

Eustathius doctrinae affert Apionis, ex alius cuiusdam Apionem exscribentis opere sumptum est, ipsos Apionis libros exhausisse, amborum igitur, de Herodoro licet obscuritate et dubitatione premamur, Apionem quidem libri de quo est dissertatio certe non fuisse auctorem invenimus. Quare cui mirum videtur magnam nostris cum Venetis scholiis, quoniam in iisdem fundamentis exstruebantur, esse similitudinem? Neque vero Veneta scholia ab Apione et Herodoro confecta esse atque Eustathium, ubi hos auctores adhiberet, ipsis scholiis usum esse, ut vult Th. Bergkius suae de tabula Iliaca Parisiensi commentationis p. 6, ullo modo licet affirmari.[29]) La Roche p. 170 dicenti scholia minoris ordinis ex communi cum Eustathio fonte, sc. Apionis et Herodori commentariis, derivata esse, quod ad Veneta B attinet, nulla assentiar condicione, de ceteris autem ita puto sententiam eius mutandam, ut dicam non nostrorum commentarios ibi receptos esse, sed ipsum Eustathium. Cuius rei nonnulla proferam exempla:

Schol. Lips.	p. 383, 35 Bachm.	ex Eust.	p. 729, 26
	p. 440, 6		p. 790, 6
	p. 458, 33		p. 809, 3
Schol. Paris. Cram. Anecd. Paris. III	p. 201, 32 (Ἀπίων καὶ Ἡρόδοτος)	ex Eust.	p. 476, 45
	p. 208, 17		p. 545, 19
	p. 47, 31	omissis Apionis et Herodori nominibus	p. 732, 46
	p. 257, 1	omissis Apionis et Herodori nominibus	p. 747, 12
	p. 237, 5		p. 757, 19
	p. 79, 4		p. 790, 6
	p. 82, 21		p. 794, 25
	p. 90, 23		p. 809, 3
Schol. cod. Bodl. Cram. Anecd. Oxon. III	p. 399, 20	ex Eust.	p. 153, 17.

29) cf. La Roche p. 171.

Restat, ut de glossis Homericis a Sturzio post Etymologicum Gudianum p. 601 sqq. vulgatis, quas codices Apioni nostro attribuunt, uberius exponam. Duo eas codices, Darmstadinus et Baroccianus, hic autem eas tantum, quae a literis *α* et *ε* incipiunt, in quibus glossam *ἐπάγρια* in illo desideratam, continent atque, de ceteris quoniam ad verbum inter sese consentiunt, ex uno et eodem eos fonte fluxisse manifestum est, quem nullum alium fuisse librum nisi Apionis lexicon Homericum A. Koppius dissertatione nuperrime edita censet. Qui quamvis de corruptissima illius glossarii condicione atque forma genuina bonum fecerit iudicium, tamen germani verisimiliter lexici Apionis illo contineri rudera non possum assentiri. Sed videamus, quibusnam ille argumentis sententiam suam fulciat.

Ac primum quidem adhibuit locum Eustathii p. 1397, 4: *ἀστράγαλος τριά σημαίνει · τὸν ἐν σφυρῷ καὶ τὸν σπόνδυλον ἁπλῶς καὶ τὸ παισrι κὸν ἢ πεσσικὸν βόλον τὸ τοῦ Ἀπίωνος*, qui congruit cum Sturz. p. 603, 44: *ἀσιράγαλος γ · τὸ ἐν τῷ σφυρῷ καὶ τὸν σπόνδυλον ἁπλῶς καὶ παιστικὸν βῶλον.* Sed ubi haec legit Eustathius? Non in vero lexico Apionis, sed in illo ipso, quod codices Darmstadinus et Baroccianus excerpserunt, quod igitur iam Eustathii aetate falso titulo inscriptum erat. Ex eodem certe opere, non ex Apione, deprompta esse existimo, quae in codicis Barocciani 162. scholiis saeculi XV. (Cram. Anecd. Oxon. IV p. 408, 16), qui locus praeteriit Koppium, legimus: *ἰστέον, ὅτι τὸ ἄρνυμαι τρία δηλοῖ κατὰ Ἀπίωνα τὸν διδάσκαλον* [30]) · *τὸ λαμβάνω*,

30) Quid illud *τὸν διδάσκαλον* dicere velit, nescio. Fortasse notatio est docti cuiusdam viri, qui cum Apionem excemplum sibi proposuisset, aut sibi ipse nimia quidem sui aestimatione, sed tamen modestia quadam cognomen Apioni discipulo imposuit aut ab admiratoribus suis honesto illo cognomine appellatus est.

τὸ τιμωροῦμαι καὶ τὸ ἀντικαταλλάσσομαι καὶ δίδωμι. Sturz. p. 604, 45: *ἄρασθαι* (lege *ἄρνυσθαι*): *λαβεῖν, τιμωρεῖσθαι, ἀντικαταλλάσσεσθαι.* Neque vero praeter hos duos locos, quod sciam, ullus est qui glossarium illud vere Apionicum esse affirmanti sit testimonio.

Deinde Koppius ostendit, quam simile Apolloniano, locis quibusdam etiam Etymologico Magno sit lexicon, quod Apionis dicit, huiusque rei causam inde repetit, quod duorum lexicorum auctores eodem fonte, sc. Apione, usi sint.[31]) Quam inter Apollonium et Sturzii glossarium similitudinem, etiamsi haud raro vix intellegendam, revera existere quamquam et ipse persuasum habeo, tamen eius causam aliunde mihi quaerendam puto, sc. inde quod ex Apollonio Sturzii glossarium maximam partem fluxisse videtur. Quod Koppius se non posse approbare ait. Glossarium enim illud, de quo agimus, legibus quibusdam et una quadam ratione confectum esse, quamquam valde mutilatum nunc contractumque legimus, tamen e reliquiis intellegitur. Unicuique voci auctor numerum significationum, tum has ipsas additis ex Homero testimoniis adiecit, etymologias omisit. Quod, si ex Apollonio glossarium excerptum esset, ita fieri non potuisse Koppius existimat. Sed mihi quidem id ipsum: ex Apollonio illud fluxisse, propius ad verum accedere videtur. Quid enim compositori illius fuit facilius quam, postquam apud Apollonium glossam, qualem supra depinxi, invenit, via quam ille ostendit progredientem reliquas glossas ab Apollonio aut alio modo confectas aut, nisi librariorum neglegentia e nostro textu exciderunt, omissas aliis adiuvantibus lexicis ipsum intercalare?

Neque vero glossae desunt, quae et in Apollonii et in Apionis, ut ita dicam, lexicis explicatae primum intuenti

---

31) Etymologici Magni auctor non Apionem, sed Apollonium integriorem exscripsit.

inter sese non concordent, quibus ille Apionis nomen ascripsit. Quas cum Koppius videri tantum sententiae suae obstare dicat, nonne obstant revera? Articuli sunt hi: *ἀγανόν* Apoll. p. 7, 2 = Sturz. p. 604, 14. *ἄντυξ* Ap. p. 31, 1 = St. p. 603, 10. *ἆσε* Ap. p. 44, 32 = St. p. 603, 41. *βοάγρια* Ap. p. 52, 27 = St. p. 605, 4. *θέλγειν* Ap. p. 86, 30 = St. p. 606, 56. *κόνις* Ap. p. 102, 12 = St. p. 607, 49. *κορώνη* Ap. p. 102, 23 = St. p. 607, 33. *μεσόδμη* Ap. p. 111, 26 = St. p. 608, 32. *παλύνω* Ap. p. 70, 28[32]) = St. p. 606, 14. *πυκινὸν λέχος* Ap. p. 137, 23 = St. p. 609, 12. *σκῶλος* Ap. p. 143, 3 = St. p. 609, 36. *σχέτλιος* Ap. p. 148, 1 = St. p. 610, 6. Ac nonnullas (*ἄντυξ*, *βοάγρια*, *παλύνω*, *σχέτλιος*) quidem, ita ut mihi persuaserit, Koppius inter se consentire atque facile ad communem fontem reduci posse demonstrat. Quod de ceteris quoque libenter illi concedo. Sed habemus in his glossam, qua glossarium non in Apione, sed in Apollonio positum esse liquido demonstratur. Apollonius enim p. 143, 3 habet haec: *σκῶλος· σκόλοψ· „ὥστε σκῶλον πυρίκαυστον.“ — ὁ δὲ Ἀπίων· ῥάβδος πεπυρακτωμένη. — ἔστι δὲ καὶ πόλις ἐν Βοιωτίᾳ· „Σχοῖνόν τε Σκῶλόν τε“. — ὁ δὲ Ἀρίσταρχος· ἀκάνθης τι γένος· ταύτας δ' εἰώθασι πυρπολεῖν*, quae apud Sturz. p. 609, 36 hoc modo contracta legimus: *σκῶλος· ῥάβδος κεκαμμένη* (lege *κεκαυμένη*) *· καὶ ἄκανθα· καὶ πόλις Βοιωτίας*. Hic igitur Apollonii explicatio excidit, Apionis et Aristarchi inveniuntur, item Apollonii nominis *Σκῶλος* explicatio, quam non recte inter Apionis et Aristarchi apud Apollonium verba positam esse, sed in finem glossae traducendam e glossario apparet.

Mirum videtur in glossario quod dicitur Apionis nullas inveniri originationes. Cuius rei Koppius duas affert causas. Aut enim etymologiae in glossario olim inveniebantur,

---

32) Nomen Apionis apud Apollonium excidit, sed ab Etymol. Magn. p. 650, 1 servatum est.

postea autem ab epitomatore quodam consulto omnes omissae sunt, aut Apollonius non e lexico eas, sed e commentariis Apionis addidit. Equidem autem in vero lexico Apionis, quippe qui praecipue in etymologiis excogitandis versatus sit, eas deficere non potuisse censeo. Causa potius haec mihi videtur, quod glossarii Sturziani auctor, cum omnes uniuscuiusque verbi significationes enumeraret, ad eos tantum, qui Homeri carmina legunt, spectavit itaque verborum etymologias ut supervacaneas salva fide opprimere potuit.

Denique de glossario nostro quid sentiam, breviter complectar. Illud glossarium valde contractum corruptumque non esse Apionis lexici Homerici epitomen, sed ex anonymi cuiusdam auctoris opere una quadam ratione confecto, cuius Apollonii plerumque lexicon fons fuit, excerptum puto. Cum Apione nihil illi est commune nisi nomen, quo ab auctore insignitum videtur, quo diligentius multitudini, ut erat non doctis hominibus, sed carmina Homeri legentibus scriptum, commendaretur. De tempore autem, quo conficiebatur, hoc tantum dici potest ante Eustathii aetatem illud vulgatum fuisse.

II.

A. *Λέξεων* quae supersunt.

1. *ἀάπτους χεῖρας* (A 267). Phot. II p. 275 Naber.: *Ἀπίων δασύνει· βούλεται γὰρ ἀποδιδόναι, ὧν οὐκ ἄν τις ἅψαιτο, ἢ τὰς πολλοῖς προσπελαζούσας*, neglegens explicationem eam celato auctoris nomine iam contineri verbis praecedentibus, quae paucis leviter mutatis ex Apollonii sophistae lexico Homerico (p. 1, 20 Bekker.) desumpta sunt, unde Hesychius quoque parca sua hausit. Post *ἀποδιδόναι*

mihi supplendum videtur ἀπροσπελάστους. Ad Apionem sine dubio redeunt etiam quae exhibent Eustath. p. 150, 19 et Schol. ad A 267 (Dindorf. I p. 65, 5: εἰσὶ δὲ οἳ ἀπροσπελάστους ἀποδιδόασιν ἀπὸ τοῦ ἅψασθαι, ὧν οὐδεὶς ἂν ἅψαιτο δι' ἰσχύν; III p. 79, 7 = Schol. Lips. ad A 568 (Bachm. p. 69, 36): τινὲς ὧν οὐδεὶς ἅψαιτο.)

2. ἀβακεῖν (δ 249). Apoll. Soph. p. 2, 19: ὁ Ἀπίων κατὰ στέρησιν τοῦ βάζειν, τὸ δὲ λέγειν καὶ ἱστορεῖν, οἱονεὶ φάζειν, ὅπερ ἐστὶ φράζειν κατὰ παράλειψιν τοῦ ρ. Pro codicis παράληψιν quin cum Kulenkampio πρόσληψιν, non παράλειψιν, ut voluit Villoisonus, scribendum sit, nemini dubium erit, qui Eustath. p. 1654, 16 προσλήψει τοῦ ρ et Etymol. Magn. p. 413, 44 κατὰ πρόσληψιν συλλαβῆς contulerit. Similiter, sed pluribus verbis de vocis derivatione disserunt Homeri Epimerismi (Cram. Anecd. Oxon. I p. 49, 32), minus diserte Etymol. Magn. p. 2, 30. Zonar. p. 11 Tittmann. Schol. ad δ 249 (Dind. p. 198, 13).

3. Ἀβαρβαρέη (Z 22). Apoll. p. 3, 32: ὁ Ἀπίων παρατίθεται Ναΐδος εἶναι Νύμφης ὄνομα. Unde breviter Hesych.: ὄνομα νύμφης.

4. ἀβίων (N 6). Apoll. p. 3, 25: ὁ Ἀπίων ἤτοι πῶς καὶ ὁμοίως βιούντων, ἢ τοῖς βίοις ἐλλειπόντων. Primae interpretationis sensus haud ita perspicuus est, itaque Slothouwerus ἴσως pro πῶς, idem Forsman De Aristarcho lexici Apolloniani fonte p. 29 proposuit, sed fortasse melius cum Tollio ὅμως legendum. Apio utrum ἀβίων an recte Ἀβίων scripserit, iam non liquet discernere.

5. ἄβρομοι (N 41). Apoll. p. 3, 8: ὁ Ἀπίων ἤτοι ἄφωνοι καὶ ἥσυχοι ὡς ἂν παρατάξεως οὐχὶ γιγνομένης· βρόμος δὲ κατὰ μίμησιν ἡ ποιὰ φωνή. Quocum ad sensum quidem consentiunt Hesych. p. 6, 27 Schmidt. ed. min.: χωρὶς βρόμου ἢ ἄνευ θορύβου et Zonar. p. 3: ἔστι καὶ ὁ ἀθορύβητος στερήσει τοῦ α.

6. ἀγανός. Apoll. p. 7, 2: ὁ Ἀπίων καλός, σεμνός,

ἀπὸ τοῦ πολλαχῶς γαίειν, ὅ ἐστι γαυριᾶν. Eadem definitio apud Eustath. p. 1444, 6 κατὰ τοὺς παλαιοὺς σεμνός, καλός κτλ., eadem etymologia atque ea quidem accuratior apud Etymol. Magn. p. 6, 27 = Zonar. p. 13: παρὰ τὸ γαίω τὸ γαυριῶ γίνεται γαῖος καὶ τροπῇ τοῦ ι εἰς υ .... καὶ μετὰ τοῦ ἐπιτατικοῦ α ἀγαυός, secutos ut videtur Orionem, qui p. 30, 9 Sturz. Herodianum laudat.

7. ἄγρωστις (ζ 90). Apoll. p. 6, 10: ὁ Ἀπίων ἀπὸ τοῦ ἐν ἀγροῖς γείνεσθαι, ἢ ἀγρόεσθις ἡ ἐν ἀγροῖς ἐσθιομένη· παρὰ γὰρ τῷ ποταμῷ αἱ τῆς Ναυσικάας ἡμίονοι τὴν ἄγρωστιν ἐσθίουσιν. Hanc alteram interpretationem, quae sitne ipsa quoque Apioni tribuenda necne nescio, multo pleniorem exhibet Etymol. Magn. p. 14, 13.

8. ἄλις (Β 90). Hesych. p. 35: ἄδις· ὡς Ἀππίων, ἀθρόοι· ἢ ἐσχάρα. Hanc glossam vehementer mutilatam secundum Hemsterhusium ex Apoll. p. 24, 17 hoc modo emendem: ἄλις· ὡς Ἀπίων, ἀθρόως, ἱκανῶς, opprimens reliqua ut ab epitomatore e glossa ἀδιάς repetita, nisi haec verba ἢ ἐσχάρα loci Homerici (Φ 319 ἄλις χέραδος περιχεύας) reliquias putare mavis.

9. ἀέσαι (ο 40). Lexic. Seguerian. (Bekk. Anecd. p. 348, 8 = Bachm. Anecd. I p. 35, 15): ὡς ὁ Ἀπίων, ἐπὶ πολὺ ἡσθῆναι. Quae ante haec leguntur, cum congruant cum Apollonii et Hesychii ad vocem observationibus, verisimile mihi est in Apollonio olim etiam illam Apionis explicationem exstitisse, sed priusquam illo Hesychius uteretur, compilatoris excidisse oscitantia.

10. ἀθύρει (Ο 366), ἀθύρματα (σ 323). Apoll. p. 12, 32: ἀθύρει· παίζει, καὶ ἀθύρματα παίγνια .... ὁ δὲ Ἀπίων ἐτυμολογῶν τὴν λέξιν φησὶν ἀπὸ τοῦ πολλάκις θύειν, κατὰ πρόσθεσιν τοῦ ρ, ὃν τρόπον καὶ ἡ ἀϊδρίη ἀϊδία τις οὖσα. Ut in voce ἀάπτους, sic hic quoque Eustathium, cum p. 1848, 56 dicit: ἀθύρματα κατὰ τοὺς παλαιοὺς παίγνια, σκιρτήματα, παρὰ τὸ ἄγαν θύειν, ὅ ἐστιν ὁρμᾶν, κατὰ πρόσθεσιν τοῦ ρ,

ὁμοίως τῷ ἄϊδις ἄϊδρις, eundem librum quem Apollonius vel potius Apollonium ipsum nondum laesum excerpsisse elucet, ita ut huius verba ex illius glossa expleri possint et corrigi. Ἀ θέειν autem vocem derivatam esse etiam Etymol. Magn. p. 26, 9 et Zonar. p. 61 (= Cram. Anecd. Paris. IV p. 96, 33) consentientes inter sese docent.

11. αἴητον (Σ 410). Apoll. p. 17, 15: ὁ Ἀπίων προθεὶς τὴν λέξιν φησὶ ποιητόν, πνευστόν, πυρῶδες. Etymol. Magn. p. 34, 20 totam Apollonii glossam, sed valde contractam tradit: ἐπὶ τοῦ Ἡφαίστου, πνευστὸν ἢ πυρῶδες κτλ., Hesych. s. vv. αἴητον et αἴζητον tantum: πνευστικὸν ἢ (καὶ) πυρῶδες. Illud ποιητόν quid sibi velit, minime apparet; recte fortasse scribemus, quod confinxit Villoisonus, πνοιητόν. Pro πνευστόν iure in Apollonio Villoisonum, Kulenkampium in Etymologico πνευστικόν proposuisse non ausim affirmare.

12. αἰκάς (Ο 709). Apoll. p. 15, 17: ὁ Ἀπίων λέγει ἀπό τοῦ ἄκοντα τὰ βέλη ἱέναι, καθό φησι καὶ ἀκόντιον λέγεσθαι.

13. αἱμασιάς (σ 359. ω 224). Apoll. p. 18, 1: ὁ Ἀπίων ἐτυμολογῶν φησιν ἀβασίας, ἐφ᾽ ἃς οὐκ ἔστιν ἐπιβῆναι. Quem Hesych. p. 59, 26 compilavit hoc modo: αἱμασιά .... Ἀπίων ἀβασία, ἐφ᾽ ἣν οὐκ ἔστιν ἐμβῆναι.

14. αἰσυητῆρι (Ω 347). Apoll. p. 16, 9: ὁ Ἀπίων ἀποδίδωσι βασιλεῖ καὶ ἐτυμολογῶν φησιν αἰσυητῆρι τῷ τηροῦντι τὰ αἴσια, τουτέστι τὰ δίκαια. Brevius Hesych. p. 65, 20: Ἀπίων τῷ βασιλεῖ τῷ τηροῦντι τὰ αἴσια, ὅ ἐστι τὰ δίκαια. Aristarchus recte αἰσυμνητῆρι legebat, quod secundum Schol. ad Ω 347 (Dind. IV p. 349, 14) sic interpretatur: αἰσυμνητῆρι, ὅ ἐστι βασιλεῖ, οἱονεὶ αἰσιονομητῆρι· οἱ γὰρ βασιλεῖς τὰ αἴσια νέμουσι. Unde exemplum cepisse videtur Apio. Duas illas observationes, alteram sine auctoris nomine ac suis verbis (αἰσυητήρ βασιλεὺς ἢ βασιλικός, οἱονεὶ τηρῶν τὰ αἴσια, ἤγουν ἄρχοντα τῶν αἰσίων καὶ δικαίων μνήμην ποιούμενον) conseruit Eustath. p. 1353, 50.

15. *αἴσυλα* (*E* 403). Apoll. p. 16, 6: ὁ Ἀπίων ἐτυμολογῶν τὰ σεσυλημένα τῆς αἴσης, τουτέστιν ἁμαρτωλά. Hanc ex Apollonio explicationem omisso Apionis nomine receperunt Herodianus in Homeri Epimerism. (Cram. Anecd. Oxon. I p. 73, 15) et Methodius (Etymol. Magn. p. 39, 39). Cf. etiam Eustath. p. 1443, 5: τὰ ἄδικα καὶ τῆς αἴσης, ἤτοι τοῦ καθήκοντος, σεσυλημένα, ὡς συγκεκόφθαι ἀπὸ τοῦ αἰσόσυλα.

16. *ἀμάρη* (*Φ* 259). Apoll. p. 25, 24: ὁ Ἀπίων ὁμοῦ καὶ ὁμοίως καὶ ἅμα καὶ ὁμαλῶς ῥέουσα. Quam etymologiam paucis leviter mutatis neque laudato Apione reddunt Hesych. p. 106, 36: παρὰ τὸ ἅμα καὶ ἴσως καὶ ὁμαλῶς ῥεῖν, οἷον ἁμαρόη τις οὖσα, Etymol. Magn. p. 77, 17: παρὰ τὸ ἅμα καὶ ὁμαλῶς ῥεῖν τὸ ὕδωρ (Gudian. p. 42, 4: ἅμα τὸ ὁμαλῶς, ita ut alterum vocabulum altero explicetur) et Zonar. p. 147: παρὰ τὸ ἅμα ῥεῖν τὸ ὕδωρ. Apio quin legerit ἁμάρη, nemini dubium erit praesertim conferenti Eustath. p. 1235, 58: παρά τισι δασύνεται, ὡς ἀπὸ τοῦ ἅμα ῥέειν.

17. *ἀνδραχθέσι* (*κ* 121). Apoll. p. 33, 27: ὁ Ἀπίων τοῖς ἀνδρὸς βάρος ἔχουσιν, ἢ οἷον ἀνδραχέσιν, κατὰ παρένθεσιν τοῦ θ, ἵν᾿ ᾖ τοῖς ἀνδράσιν ἄχος ποιοῦσιν. Ad secundam explicationem, quae nescio an ab eodem Apione profecta sit, redire videntur, quae habet Hesych. p. 148, 30: ἀνδραχθέσι· τοῖς δυναμένοις καὶ ἀνδράσιν ἄχθος ποιῆσαι.

18. *ἄντυξ* (*E* 728). Apoll. p. 31, 5: ὁ Ἀπίων φησίν· οὕτως ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ ἀπέχεσθαι τῆς ὅλης κατασκευῆς. Pro ἀπέχεσθαι melius cum Tollio legemus ἀντέχεσθαι.

19. *ἀρητόν* (*P* 37). Apoll. p. 43, 23: εὐκτόν, ἢ βλαβερόν, ἢ πολυχρόνιον, ὡς Ἀπίων. Hesych. p. 225, 3: βλαβερόν, πολυχρόνιον. Quomodo hae tres vocis significationes intellegendae sint, apparet ex Etymol. Magn. p. 140, 40, cuius verba e Schol. Ven. ad *P* 37 (Dind. II p. 125, 18) sic explevi: παρὰ τὸ ἀρῶ, Ἄρητος καὶ Ἀρήτη, οἱ εὐκτοὶ τοῖς γονεῦσι, καὶ εἰς ἰδιότητα· „ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι κτλ.“·

βλαπτικόν, παρὰ τὴν ἀρὰν τὴν βλάβην, ἢ . . . . ἀεὶ ῥητόν, ἀεὶ διὰ μνήμης ἐσόμενον.

20. *ἆσαι* (*E* 289). Apoll. p. 44, 30 et Etymol. Magn. p. 152, 1 : *ἆσαι* et *βλάψαι* et *κορέσαι*, *πληρῶσαι* significat, *ὁ δὲ Ἀπίων ἀμφότερα ἐτυμολογῶν (ἐκθέμενος ἀμφοτέρας τὰς δυνάμεις ἐτυμολογεῖ) ἀπὸ τῆς ἄτης, οἷον ἀτῆσαι· πληρωτικὰ γὰρ τὰ κακά.*

21. *ἄστυ* (*B* 801). Apoll. p. 45, 9 : *ὁ Ἀπίων ἐτυμολογεῖ ἀπὸ τοῦ εἰς ὕψος ἀνεστάλθαι.* Ubi ex Hesych. p. 248, 27, qui Apollonium procul dubio excerpsit, *ἀνίστασθαι* fortasse pro *ἀνεστάλθαι* restituendum. Similiter vocem derivant Homeri Epimerismi (Cram. Anecd. Oxon. I p. 31, 19), quorum observationem ad verbum fere repetunt Etymol. Magn. p. 160, 10 + p. 158, 47, Gudian. p. 87, 15 et Zonar. p. 324 : *παρὰ τὸ ἄνω ἵστασθαι· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ἐφ᾽ ὑψηλῶν τόπων ᾠκοδόμουν κτλ.*, cuius etymologiae auctorem Schol. ad Apoll. Rhod. I 696 Eumolpum quendam nominat.

22. *αὐδήεσσα* (*ε* 334. *κ* 136). Apoll. p. 48, 12: *ὁ Ἀπίων ὀνομαστὴ καὶ ἔνδοξος, οἷον αὐδωμένη, ἐπὶ Κίρκης καὶ Καλυψοῦς.* Ex Apollonio contracta habent sua Suid. I a, p. 853, 11 Bernhard. et Lexic. Seguerian. (Bekk. Anecd. p. 462, 20 = Bachm. Anecd. I p. 163, 2) : *ὀνομαστή, ἔνδοξος, [ἢ] αὐδωμένη.* Cf. Hesych. p. 258, 18. Etymol. Magn. p. 169, 10. Zonar. p. 343.

23. *ἀχαρίστερον* (*υ* 392). Apoll. p. 50, 3 : *ὁ Ἀπίων λυπηρότερον*, unde Hesych. p. 277, 29 : *οἱ δὲ λυπηρότερον.* Cf. Suid. I a p. 912, 8 : *ἄχαρι· λυπηρόν.* Zonar. p. 363 : *ἀχαρές· λυπηρόν, μὴ τερπνόν.*

24. *ἄχος.* Cod. Florent. Etymol. Magn. p. 182, 13 (E. Miller Mélanges de Littérature Grecque Par. 1868 p. 58) : *ὁ Ἀπίων ἄχος τὴν λύπην τὴν σιωπὴν ἐπιφέρουσαν· παρὰ τοῦτο δὲ καὶ τὸ ἀχεύων καὶ τὸ ἀκαχήμενος.* Cf. Apoll. p. 49, 28 : *ἄχος· λύπη ἀφωνίαν ἔχουσα.*

25. *βαθυπέπλων.* Apoll. p. 50, 26 : *ὁ Ἀπίων καλῶν;*

melius certe Hesych. p. 285, 21: *καλὰ ἱμάτια ἐχόντων* (an *ἐχουσῶν* legendum?), *πέπλος* enim *τὸ ἱμάτιον καλεῖται Ἑλληνικῶς* Etymol. Magn. p. 185, 41, ubi caput glossae *βαθυπέπλων* pro *-κόλπων* restituendum est atque explicatio vocis excidit. Vocem *βαθυπέπλων* nos iam non legimus in Homero, sed exstitisse olim, ubi nunc a librariis forte substitutum *βαθυζώνων* vel *βαθυκόλπων* habemus, recte iam Tollius suspicatus est.

26. *βαμβαίνων* (*K* 375). Apoll. p. 50, 21: *ὁ Ἀπίων βῆμα πρὸ βήματος βαίνων καὶ πορευόμενος*, Quae in textu sequuntur, ut ab explicatione Apollonii non secernenda cum Bekkero Apionis verbis praepono. Similiter Eustath. p. 812, 43: *ἰστέον, ὅτι ἐν ῥητορικῷ τινι λεξικῷ φέρεται* ...., *ἐν δὲ ἑτέρῳ, ὅτι βαμβαίνων βήματα βάλλων, κατὰ βῆμα πορευόμενος καὶ παπταίνων*, quem totum locum valde contractum in Schol. ad Iliadem Paris. invenis a Cramero (Anecd. Paris. III p. 93, 19: *ἐν ῥητορικῷ τινι λεξικῷ* .... *βαμβαίνειν κατὰ βῆμα πορεύεσθαι*) vulgatis, item in Lips. p. 462, 33 Bachm.

27. *βέρεθρον* (*Θ* 14). Apoll. p. 51, 4: *Ἀπίων ὁ πηλώδης τόπος, ἀπὸ τοῦ οἱονεὶ βέραθρον εἶναι καὶ βάθος ποιεῖν τῷ ἄρθρῳ τοῦ ποδός, ἢ τὴν γῆν θραύειν*. Ex Etymol. Magn. p. 194, 24, quod Apollonium descripsit, nisi quod *οἱ δέ* pro Apionis nomine habet, *καὶ καταπηγὰς* (*καταπλῆγας* Kulenkamp., *καταπῆγας* vel *καταπύγους* Sylburg.) *ποιῶν τοὺς ἀνθρώπους* post *τόπος* adiciendum, *Ἀπίων* autem verbis *ἀπὸ τοῦ κτλ.* puto praefigendum. Pro *βέραθρον* cum Sturzio malim legere *βάραρθρον* propter sequens *ἄρθρῳ*, pro *βάθος* cum Bekkero *βάρος*, de qua re mecum consentit A. Brosow Quomodo sit Apoll. Soph. ex Etymol. Magn. explendus atque emendandus p. 21.

28. *βλήτροισι* (*O* 678). Apoll. p. 51, 25 Apionis nihil nisi nomen servavit, glossam ipsam librarius nobis invidit atque, quae fuerit Apionis sententia, dubitamus.

Cf. Schol. ad *O* 678 Ven. (Dind. IV p. 103, 3) = Lips. (Bachm. p. 615, 21): *συμβλήμασι καὶ συνεμπλοκαῖς*, (Cram. Anecd. Paris. III p. 264, 8): *βλητροῖσι· ἐμβλήμασι καὶ συνεμπλοκαῖς*. Zonar. p. 393: *βλῆτρον· τὸ σύμβαλμα*.

29. *βοάγρια* (*M* 22). Apoll. p. 52, 27: *ὁ Ἀπίων τὰ ἐκ βοῆς, τουτέστι τῆς μάχης ἠγρευμένα, τὰ λάφυρα* (hic mihi rectus ordo verborum videtur). Apollonium certe, nisi ipsum Apionem, secutus est Eustath. p. 890, 26: *βοάγρια οἱ μέν φασι λάφυρα, τὰ ἐκ βοῆς, ἤγουν μάχης, ἀγειρόμενα, οἱ δὲ κτλ.* Cf. Etymol. Magn. p. 203, 26: *τὰ ἐκ βοῆς ἀγρευόμενα λάφυρα*.

30. *δύη* (ξ 215). Apoll. p. 60, 32: *ὁ Ἀπίων κάκωσις, ἀπὸ τοῦ εἰσδύνειν τὰ κακά*. Cf. Etymol. Magn. p. 284, 49, ubi vox *δοῦλος* derivatur *παρὰ τὴν δύην, ὃ σημαίνει τὴν κάκωσιν*.

31. *ἐρέχθων* (ε 83. 157). Etymol. Magn. p. 371, 28: *ὁ Ἀπίων ἐρεχθῶν λέγει, διακόπτων*. Sturz. legisse *ἐριχθῶν* Apionem mavult; cf. La Roche l. l. p. 260. Glossam in Apollonio nunc desideratam recepit omisso nomine Hesych. p. 615 s. vv. *ἐρέχθων* et *ἐρέθων*. V. Eustath. p. 1524, 64: *ἐρέχθων, ὅ ἐστι διατέμνων, διασχίζων .... ἢ ἐρέθων ἀντὶ τοῦ ἐρεθίζων*.

32. (*ἐπι*) *ζαφελῶς* (*I* 516). Apoll. p. 80, 33: *ὁ Ἀπίων μεγαλοκότως*. Sine nomine Hesych. p. 675, 22.

33. *ζῶστρα* (ζ 38). Apoll. p. 81, 24: *Ἀπίων τὰ ἐνδύματα τῶν ἀνδρῶν*, unde Hesych. p. 682, 15: *τινὲς τὰ ἐνδύματα*. Plura habent Phot. II p. 280: *ἐνδύματά τινα ἀνδρῶν, οἷον χιτῶνας βαθεῖς*, Suid. I b, p. 743, 1 atque Zonar. p. 968, qui ad verbum congruentes Photii glossae addunt: *οἷς ζώννυται ἡ ζώνη*. Haec recte, ut videtur, ex lexico Segueriano (Bachm. Anecd. I p. 247, 25), quod ceteris verbis cum Photio, Suida, Zonara consentit, sic emendavit Bernhardyus: *οὓς ζώννυνται τῇ ζώνῃ*.

34. *ἡμερίς* (ε 69). Apoll. p. 84, 1: *ὁ Ἀπίων ἀπὸ τοῦ*

ἡμεροῦν ἡμᾶς. Eadem praebent, sed neglecto Apionis nomine Hesych. p. 696, 1 (ἐξημεροῦν), Suid. I b, p. 851, 1 et Zonar. p. 992; similia Etymol. Magn. p. 429, 8 et Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 997.

35. θαλαμηπόλος (η 8). Hesych. p. 713, 14: Ἀπίων κοιτωνοφύλαξ, νυμφαγωγός, τοῦ θαλάμου ἐπιμελουμένη. Quorum nihil fortasse nisi illud νυμφαγωγός Apionis esse puto, cum reliquis ea tantum quae modo disseruit Hesychius et quae Apollonii ceterorumque observationibus sunt similia, repeti videantur.

36. θαλπωρή (Κ 223). Apoll. p. 86, 4: ὁ Ἀπίων ἡδονή. Cf. Etymol. Magn. p. 442, 16. Schol. ad Κ 223 (Dind. II p. 321, 29).

37. θέλγειν (Μ 255). Apoll. p. 86, 30: ὁ Ἀπίων ἀνιᾶν, ἀμαυροῦν. Illud nobis a nullo alio grammatico traditum est, hoc nobis occurrit etiam in Suid. I b, p. 1121, 8, Etymol. Magn. p. 445, 1, Gudian. p. 257, 17, Lexic. Seguerian. (Bachm. I p. 254, 24), quorum eodem ex fonte defluxerunt observationes.

38. θεσπέσιον (Α 591). Apoll. p. 87, 26: ὁ Ἀπίων ὡς συνθέτου τῆς λέξεως οὔσης ἀποδίδωσι θεσπέσιον τὸ ἐκ θεοῦ ἑπόμενον ἢ ἐκ θεοῦ λεγόμενον. Similiter explicant (παρὰ τὸ ἕπεσθαι τῷ θεῷ) Orion p. 71, 7, unde hauserunt Etymol. Magn. p. 447, 52 et Zonar. p. 1036, similiter etiam Etymol. Gudian. p. 260, 13.

39. θήρ (Γ 449). Apoll. p. 88, 3: κατ' ἐξοχὴν ὁ λέων, ἀπὸ τοῦ θοῶς ὀρούειν, ὡς Ἀπίων. Eadem Hesych. p. 729, 17: ὁ λέων, ἀπὸ τοῦ θοῶς ὀρούειν. Cf. Etymol. Magn. p. 332, 14: κατ' ἐξοχήν, ὡς ὁ λέων θήρ; p. 451, 25: τούτους (sc. σύας καὶ λέοντας) θῆρας ἐξαιρέτως ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι. Gudian. p. 262, 16: κυρίως λέγεται θήρ ὁ λέων; p. 265, 7: ἐπὶ τῶν θηρῶν, τουτέστι τῶν λεόντων.

40. θρυλίχθη (Ψ 396). Apoll. p. 88, 21: ὁ Ἀπίων συνεθραύσθη. Item Hesych. p. 738, 24. Orion p. 71, 11

(παρὰ τὸ θραύω), quo usum esse videtur Etymol. Magn. p. 456, 47 (ἐθραύσθη). Schol. ad Ψ 396 (Dind. II p. 343, 20): περιεθραύσθη.

41. ἰονθάδος (ξ 50). Apoll. p. 91, 30: ὁ Ἀπίων τῆς δασείας, οἷον τῆς ἰόνθους ἐχούσης, ἢ τῆς ἰούσης θοῶς. Post ἐχούσης ex Hesych. p. 717, 19, qui Apollonium descripsit atque idem Apionem laudat, intericere velim οἷον ἐκφύματα σκληρά. Ad hanc glossam redire videntur verba Eustath. p. 1750, 3: ἰονθάδος . . . . κατὰ τοὺς παλαιοὺς τῆς ταχείας, παρὰ τὸ ἰέναι ἄδην . . . . ἢ τῆς δασείας . . . . ἢ τῆς ἐχούσης ἰόνθους, ὅ ἐστιν ἐξανθήματα σώματος ἀκμάζοντος.

42. ἱπποκορυστάς (Β 1). Schol. ad Δ 457 a Porphyrio (H. Schrader Porphyrii reliqu. p. 20, 9) profectum atque ad Β 1 referendum (Dind. III p. 223, 24 = Bachm. p. 219, 38): (γελοίως) ὁ Ἀπίων τοὺς ἱπποκορυστὰς ἀπέδωκε τοὺς κόρυθας ἔχοντας ἱππείαις θριξὶ κεκοσμημένας. Apoll. p. 92, 15, cuius verba cum Villois. sic puto emendanda: οἱ δὲ τοὺς λόφους ἔχοντες ἐξ ἱππείων τριχῶν, Apionis etymologiam cognitam habuisse Tollius iam docuit. Quam ut Porphyrius ridiculam esse dicit, sic etiam Eustath. p. 163, 41 eam refutat, qui quamquam silet de glossae origine, suis tamen verbis Apionis sententiam reddere videtur: ἱπποκορυστὰς ἐνόησάν τινες τοὺς ἔχοντας ἱππείας τρίχας ἐν ταῖς κόρυσιν· ἀλλ' εἰ τοῦτο ἦν, ὤφειλεν ἱπποκόρυθας εἰπεῖν ἢ οὕτω πως.

